



# Danskernes Historie Online

Danske Slægtsforskeres Bibliotek

Dette værk er downloadet fra Danskernes Historie Online

**Danskernes Historie Online** er Danmarks største digitaliseringsprojekt af litteratur inden for emner som personalhistorie, lokalhistorie og slægtsforskning. Biblioteket hører under den almennyttige forening Danske Slægtsforskere. Vi bevarer vores fælles kulturarv, digitaliserer den og stiller den til rådighed for alle interesserede.

#### Støt Danskernes Historie Online - Bliv sponsor

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: <https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat>

#### Ophavsret

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug.

#### Links

Slægtsforskernes Bibliotek: <https://slaegtsbibliotek.dk>

Danske Slægtsforskere: <https://slaegt.dk>

*Bartholini,*  
Oratio  
in obitum  
J. Mulenii.

THOMÆ BARTHOLINI  
**ORATIO**  
IN  
OBITUM  
*NOBILISSIMI VIRI*  
**JOHANNIS MULENII**  
**GEORGII FIL.**

*Publicè*  
In Academia Hafniensi 16, Sept.  
*dicta.*



---

HAFNIAE,  
Typis MATTHIAE GODICCHENII  
clo lcc LXIX.

THOMAS BARTHOLINUS  
PANEKYRI PUBLICA  
*AMPLISSIMO VIRO*  
JOHANNI MULENIO  
GEORG. F.  
IN SUPREMO TRIBUNALI  
ET  
COLLEGIO CAMERÆ ASSESSORI  
OECONOMO COMMUNITATIS REGIÆ  
ANTIQVA NOBILITATE ILLUSTRI  
MORIBUS GRAVISSIMIS  
ET  
ERUDITIONE CLARO  
MERITIS IN ALUMNOS REGIOS  
IN ACADEMIAM  
IN GYMNASIUM PATRIÆ  
IN TEMPLA  
IN NOSODOCHIA SPECTATO  
AMICITIA ET VICINITATE  
SIBI COLENDΟ  
OMNIBUS DESIDERATISSIMO

A z

NE

NE TANTA VIRTUS ILLAUDATA  
MANEAT  
CRASTINA HORA NONA  
ANTEMERIDIANA  
PARENTATURUS  
OMNES OMNIUM ORDINUM  
AUDITORES  
QVI VEL BEATIS VIRI MANIBUS  
BENE PRECANTUR  
VEL MERITA ÆSTIMANT  
VEL MEMORIAM COLUNT  
IN COLLEGIIUM SUPERIUS  
SUBMISSE OFFICIOSE AMICE  
INVITAT CONVOCAT  
  
HAFNIÆ CLÆ BC LXIX. 15. SEPT.

Th.



TH. BARTHOLINI  
ORATIO  
In Obitum  
JOHANNIS MULENII  
GEORGII FIL.

---

**P**Rolixas senescentis anni & ad  
fallacem vultum compositi  
minas æqviore animo pate-  
remur, nisi secum per aper-  
tas insidias Magnorum Virorum fune-  
ra traheret tristesq;ve exseqvias. Scili-  
cet ad universi habitum homo, uni-  
versi compendium se conformat, æsta-  
tis blando calore incalescit, & ad flo-  
rentis Naturæ gaudium sensus suos ac-

A 3

com-

## 6 TH. BARTHOLINI ORATIO

commodat, Autumni hyemisque for-  
midine torpentes. Vicimus inusita-  
tum æstatis nuperæ fervorem, supera-  
toque pulvere & sudore, qvo conta-  
bescere corpora visa, fructibus colle-  
ctis, almæ Cereris, Pomonæ, Fructesæ,  
seu verius Dei omnipotentis & Autu-  
mni beneficia experiri nobiscum statu-  
it immortalis meriti Senex JOHAN-  
NES MULENIUS GEORGII Filius,  
cui heri ivimus exseqvias, sed anni  
languentis & ætatis & naturæ fatiscen-  
tis vitio correptum invida fata, variæ  
fortis cupida, mortalibus eripuerunt.  
Non tam inevitabiles rerum humana-  
rum vices dolemus, qvas cum alter-  
nante Natura pati omnes jam à condi-  
ta Natura assverere; iniqvum enim fo-  
ret de eo conqueri, qvod omnibus ex  
æquo

æquo commune accidit, quodque pia  
& Deo sacra mens pro malo haud reputat. Bona quippe mors est, si ex præteritis vitæ actibus præclaris pondetur, in Dei religione transactæ, quia translatio est ad immortalitatem. Non abhorremus ab eo quod à Natura non abhorret. Nam quod Natura ligavit, id solvit Natura, & quod anima, sed per Deum colligavit, id ipsa rursum, sed ejusdem Dei nutu solvit. Ligavit autem natura corpus cum anima; anima, sed Dei ius tu seipsam in corpore constringi passa est, ex quo putri domicilio ad meliorem stationem non invita migrat. Neque denique indigno gemitu querimur senectutem in annorum face nobis sublatam, quia Senex, ut veterum quidam dicere solebat, ubi  
jam



## 8 TH. BARTHOLINI ORATIO

jam antea fructum ex bonis cepit, diutius cum eis moratus, facilius sustinet finem supervenientem, memor illorum qvæ superioribus temporibus vidit cum voluptate & qvibus usus est ad satietatem, consecutusqve ea ad qvæ tendebat, animo est tranquilliori. Fesus qvippe tot annorum laboribus, tot temporum vicissitudinibus, nihil magis in votis habet, quam quieti se tradere, aliisqve tempestatibus, qvarum ferax est vita nostra, se modestè subducere, ad portum appellere, à navi discedere, & coronâ impetratâ, valedicere. Sunt aliæ nobis dolendi causæ, justæ pariter & acerbæ. Amicum amisi antiquâ fide & virtute spectatum, & vicinum lugeo, qvem bonum qvia natus eram, præmium maximum tranquil-

quillitatis noctum esse me semper existimavi, cum tantum sit ex bono vicino commodi, quantum damni ex malo. Patrem familias Deo Misericorde dicata juventus desiderat, supremum Regiae justitiae Tribunal prudentem pariter & incorruptum Collegam, omnes exemplum. Privatus meus est dolor, publicus reliquorum, in eo tamen conspirat, quod damno singulorum nos omnes urgeat, quia Mulenium nobis eripi sumus passi, quem in amicitia multorum annorum decursu primum colui, summum in cura paterna Frater, affines, propinqui, infide & integritate Tribunal & Aerarium inter desideratisimos suspexit. Temporum nostrorum felicitati imputamus, quod tantum hactenus ami-

B

cum



10 TH. BARTHOLINI ORATIO

cum habuerim, cæteri Patrem & Ju-  
stitiæ sacerdotem; cæterum evanuit  
illa cum æstate inconstans beatitudo.  
Successit frigidum turbatumq; Au-  
tumni cœlum, invidens bonis nostris  
fortuna sæva, senium Viri gravissimi,  
&, qvod durius, mors divini senis. In  
quo laudando quanquam vires vix  
sufficient, qvem tam difficile admirari  
licet quam imitari, qui exacta veræ  
virtutis & severitatis normâ expressit  
in vitâ quod nemo facilè post illum  
asseqvatur; tamen cum plurima offi-  
cia beati Viri mihi grata semper fue-  
rint & jucunda, quamdiu inter mor-  
tales voluit numerari, tum vel maxi-  
mē honorificum mihi duxi, quod ul-  
timis Testamenti tabulis à me post  
funera laudari optaverit, quasi judicio  
meo



# IN OBIT. JOH. MULENII. II

meo se posteritati probaturus, qui meritis suis in patriam Academiam, in amicos, in propinquos, in magnos parvosq; omnium judicia supergressus est. Gratus agnosco hanc de amicitia nostra existimationem & meritum voti publici mihi concreditum, ut à Manibus beatis facilem veniam impetrare me confidam, à Vobis excusationem, si contentus veritate pro laude, in sanctissimis MULENII virtutibus delibandis infra vel ejus merita vel vestram expectationem subsistat oratio. Quæcunq; verò paucis dixerо, quanquam maxima, minima censi debent, si ad ipsum beatum comparentur, quem Catonem, cœlo delapsum, non nisi Tullius digné laudaverit. Nolite enim credere, me



## 12 TH. BARTHOLINI ORATIO

velut Pythium quendam ex ocio villico velut ex orco carminibus evocatum , vobis MULENIUM posse vivum sistere aut revocare ; sed imaginem tantum ejus & umbram animi excelsi ante oculos ponam , grata in beatum amicum memoria , ut vobis posterisq; constet majus aliquid mortalitate hoc domicilio fuisse reconditum, quod serò admireremur, nunquam ex animo deposituri.

Enimverò non tam genus & patriam , quæ cum aliis habuit communia , quam ipsum animum pectusq; virtutibus excoctum , quod ipse sibi finxerat , pro seculi exemplo adducam , quanquam eruditum hominem & sapientem ornet nobilis nascendi locus , & illustris familia , quæ in MULE-



MULENIO nostro juncta veneramur. Clarissima est nostris Annalibus & decantata multis retrò seculis MULENORUM prosapia cum Wrinis seu Wrnis pari antiquitate decertans. TURDO MULE cum aliis Regis Daniæ Hemmingii Legatis pacis transactioni apud Carolum Magnum interfuit Anno salutis Octingentesimo undecimo, magnæ inter suos auctoritatis, sicut ex Historia Francorum discimus. In Annalibus patriæ ESBERNUS MULE Nic. FIL. ædem sacram Asumensem prope Væum exædificasse memoratur Anno post natum Servatorem millesimo ducentesimo tricesimo primo, cuius ibidem Literis Runicis Epitaphium extat.

CANUTUS MULE Miles inter



14 TH. BARTHOLINI ORATIO

Nobiles Erico septimo Regi à cubiculo, missus in Norwegiam Anno Christi millesimo trecentesimo de pace inter Reges septentrionis concilianda, & cum PETRO MULE inter eos numeratus, qui pro Regis Haagenii salvo commeatu in Sælandiam fuerant fidejussores. JOHANNES MULE de Beeg, cum aliis Judicibus sententiam ferebat contra tumultuantes Cimbros & criminis læsæ Majestatis reos post natum Christum millesimo trecentesimo decimo tertio. PETRUS MULE de Beeg, capitis damnavit Nobiles Nicolaum Brock, Johannem Staffuerschow, Johannem Papæ, aliosq; suspectæ fidei Anno reparatæ salutis millesimo trecentesimo decimo quarto. Anno qui hunc præcessit,



cessit, in Svecia rerum gestarum gloria  
celebris fertur **REGUALDUS MULE.**  
Decimo octavo ejusdem seculi anno  
controversia orta narratur inter Eri-  
cum Ducem Cimbriæ Meridionalis &  
**LAURENTIUM MULE** ejusque affi-  
nes. Anno decimo septimo seculi se-  
quentis **MICHAEL MULE** Christia-  
no Secundo Rege infelice volente &  
imperante ad Episcopatum Asloensem  
ejectus. Taceo alios qui longa octo  
seculorum serie ad nostram memori-  
am & nomen **MULENI** & gloriam  
majorum propagantes, nobilitate avi-  
ta inclarerunt, ut ad **MULENIUM**  
nostrum vetustatæ familiæ dignissi-  
mum progrediar, Patre **GEORGIO**  
**MULENIO**, Consule Otthoniano,  
majorum inclytum genus prudentia  
potius

## 16 TH. BARTHOLINI ORATIO

potius civili quam pompa referente,  
& Matre BARBARA MAGNI ibidem  
Consulis filia ex nobili quoque Rosen-  
wingorum familia, natum. Maluit &  
ipse noster in tanta domestica gloria ta-  
citè semper nobile stemma dissimula-  
re, satius existimans plura in domo  
sua pulchra habere, quam solas imagi-  
nes fumosas, rara temporum mode-  
stia, spretaque vel illorum arrogantia,  
qui nobili stirpe prognati, studium vir-  
tutis & honesti negligunt, vel horum  
stultitia, qui nobilitatem novam am-  
biunt, qua animi vilioris servitute  
digni non sunt. Platonem non acce-  
pit nobilem Philosophia, sed fecit, no-  
strum & invenit virtus & perfecit. Ve-  
rè enim nobilis is censendus, qui eru-  
ditam purpuram eleganti statuisque  
majo-



majorum simili corpori inducit, quo consilio firmatus semper MULENIUS, maluit nobilitatem avitam virtute propria mereri quam possidere. Nec indigna tantæ familiæ patria contigit, Fonia nempe, Danicæ pectus, ubi primum Ottoliniæ, quæ Deorum antiquorum apud Danos olim sedes fuit, spiritum hausit quinto anno nascentis hujus seculi. Nota Provinciæ in ortus suos surgentis universo orbi nupera gesta, ubi imminens cervicibus nostris hostis & inquilinus factus, non ita pridem repressus & extinctus penè, pacis, qua fruimur, fundamenta jecit, ut facesse hinc debeant laudum Foniæ obtrectatores, qui pulrophagos probroso voce heroicos Insulæ cives appellant, quasi cœli faventis beneficium

C

foli-

## 18 TH. BARTHOLINI ORATIO

soliq[ue] ubertas in fagopyro ingeniis  
incolarum aut masculo spiritui quic-  
quam officeret. Fuere enim & Roma-  
norum fortissimi pultiphagi, & imbel-  
les alii barbari sarcophagi. Credite  
mihi, Auditores, cœnam hanc Deo-  
rum esse, quos etiam vilibus quibus-  
que cibis vesci accepimus, imò cœnam  
Saturniam, ignaram peregrinarum de-  
liciarum, quæ utinam ad Insulas suas  
infortunatas relegarentur, relicta pul-  
te, cibo paribili, quo longo tempore  
olim vixisse Romanos, non pane, non  
cateris cupediis & Apitianæ gulæ ille-  
cebris, etiam cum se Viros maximè  
monstrabant, veterum fide scimus.  
Mascula Fionorum mens se ipsam vin-  
dicavit ab injuriis, semperque à Pa-  
squino & Marphorio remotior, in ci-  
vium

vium suorum fortitudine triumphat, gavisa MULENII natales tantum splendoris sibi reddidisse, quantum acceperant. Exseruit enim se generosa MULENII indoles in ipsis cunis, & ad summa quæque spem haud dubiam ostendit. Aucta fuit ea magnis incrementis Præceptorum institutione, quam domi ea genii promptitudine & alacritate hausit, ut junior ad Academiam nostram, tanquam bonarum artium mercatum missus Parenti nostro, tunc bona fortuna superstiti, studia sua commendarit, qui mirificè novi civis indole captus amare MULENIUM nunquam destitit, de quo MULENIQ testabatur Vir Clarissimus *M. Svensoni*, Sororius ejus, nunquam ex Gymnasio Otthiniano, ubi tyrocinia po-

suerat, meliorem doctioremque produisse. Nec inferius expectatione erat excitatum ad quævis seria ingenium, quod in Academia nugas vulgi aversatum optimis se addixit & melioribus literis ocium juvenile impendit, quod alii male ociosissimis occupationibus perdunt. Usus consuetudine *Brockmanni*, Parentis nostri *Cassari Bartholini*, *Wormii*, aliorumque Doctorum, ad ardua omnia præscium animum, eloquentiæ studiis & prudentiæ, Philologiæ & Historiarum ope, ad quas singulari semper amore ferebatur, munivit & instruxit, omnem operam in auctoribus cognoscendis, in evolvenda antiquitate & in notitia tam rerum, quam hominum, quam temporum insumens. Trita omnia exsibilare cœpit,

pit, in quibus salutem suam positam arbitrantur, qui præter Barbara, celerent, Dario, barbaro ritu, Darii Persarum Regis quasi autoritate, sapiunt nihil nec æstimant. Quanquam Artem hanc artium & Scientiarum Scientiam, quo amplissimo titulo Dialecticam suam ornant, Sapientes plures probaverint, velitationibus scholasticis aptam; eloquentia tamen Viris cordatioribus & ad Reipublicæ munia natis se justius commendat, quæ tanto intervallo ab ista distat, quantum, ut Zeno jocabatur, lata palma à pugno. Hac namque eloquentia ni *P. Valerius* dissidenti urbi subvenisset, spes tanti imperii in ipso pene ortu suo corruisset. Hac eadem *Pisistratus* regium imperium apud Athenienses obtinuit, *Pericles* liberis A-

22 TH. BARTHOLINI ORATIO

thenarum cervicibus jugum servitutis imposuit, pro arbitrio suo urbem versans, *Tullius* à conjuratione Romam liberavit. Cumque scholaistica studia proprius admota fastidio sint, Philologiae amore accensus MULENIUS id obtinuit, ut in famulitio quoque suo comparatas quamplurimas haberet disciplinas, & suo semper imperio subjecerit, ex multa eruditione, ex pluribus artibus & variarum rerum scientia exundans. Quæ ut pietatis religionisque face collustrarentur, in familiam Magni Danorum sideris *Olieri Rosæcranzii* translatus & cœlestium præceptorum disciplinis innutritus didicit, omnia cum sciret, umbram esse, nec titivilitio æstimanda sine vero Dei cultu. Nam, ut pie Episcopus Hippo-



ponensis, sicut vita carnis anima est, ita beata vita hominis Deus est, cuius oracula velut ex tripode in beatissimo Divini Herois convictu hausit, hac parte felicior *Platone*, quod in hujus *Socratis* tempora inciderit. Jamque maturum prudentia civili & Divina scientia pectus ulterius excutere coepit, indignatus illorum socordiam qui ad culinam domesticam omnes bona spei igniculos accendunt, quanquam tum agere bonum doctumque civem posset, voluit tamen deceam & quinque annorum peregrinatione testari publico, quam latè se mens generosa per meliorem orbis partem expandat, quam multa animo complecti capax sit, qui ad immortalia surgit. Comitem itineris primi, in Britanniam & Bel-

Belgium bonis avibus suscep*ti* habuit  
Virum genere & omni virtute Illu-  
strem *Ericum Rosæcranzium* MagniPa-  
tris *Oligeri* filium magnum, non ita  
pridem ad Rempublicam Britanniæ  
turbatam legatione pro Augustissimo  
Rege nostro & Domino clementissimo  
**FRIDERICO TERTIO** magna lau-  
de defunctum, quem studiorum juve-  
nilium socium per totam deinde vi-  
tam veneratus est, nobilitatis delici-  
um, Musarum amorem, industriæ  
exemplum, cuius optimi & fidelissimi  
contubernalis memoriam cum animo  
suo recenseret nobisque nuper ægrum  
invisentibus pleno ore deprædicaret,  
tanta dulcedo & affectio Nobilissimi  
Viri inhærere vifa est MULENIO, ut  
ipse quodammodo sibi videretur in-  
præ-

præterita redire præsentis morbi obli-  
tus. Dignus mehercules MULENIO  
pullus, quem cum MULENIO comite  
ingens illud Eloquentiæ flumen *Box-  
bornius*, cottidianæ in Academia Lei-  
densi consuetudiniꝝ recordatione pu-  
blico scripto posteritati commendavit.  
Germaniam, Galliam, Italiam, Bri-  
tanniamque ter repetitam cum lauda-  
to *Erico Rosæcranzio*, mox *Lindenovii*  
fratribus Nobilissimis *Henrico &  
Jacobo*, aliisque quibus recensendis  
superfedeo, vitæ integritate & inno-  
centia, doctrinæ variæ excellentia, gra-  
vitate morum & perspecta ubique pru-  
dentia, suam facilè reddidisset, si capi  
peregrinis voluptatibus potuisset con-  
stans sibiꝝ semper similis MULENII  
animus, cui propositum fuit optima

D quæ-

## 26 TH. BARTHOLINI ORATIO

quæque cum delectu feligere, multa  
scrutari indefessa curiositate, quæcun-  
que vel veterum ruinæ Romæ alibiisque  
reliquissent, vel pulchra & utilia ele-  
gantiorum populorum diligentia re-  
perisset, omnium gentium homines  
novisse & historias, omnis generis mo-  
netas, plurimarum lingvarum com-  
mercum perspexisse, Ivitia sola autho-  
ribus relinquere. Discite hinc, qui-  
cunque generoso impetu varios Soles  
meditamini, ne sola urbium splendi-  
darum nomina, peregrinas vestes tes-  
sellatas, braccas, comas calamistratas,  
delicias solas vel discatis vel in patriam  
magno rerum & temporis pretiosi de-  
trimento referatis. Non tædio patriæ  
aut fastidio totiens patriam reliquit  
**MULENIUS**, sed sic abiit ut & melior  
sem-



semper rediret & alios ejus curæ commissos, secum meliores reduceret. Non aleam sectatus, non ludicra forensia, non popinas, non lupanaria, non collegia Ambubajarum nec bala-  
thrones, sed ritus gentium honestos, mores Principum Virorum elegantes, locorum Antiquitates, Rerum publicarum formas & instituta, eruditorum colloquia & publica monumen-  
ta, sapientum consuetudines, & quic-  
quid denique vel eruditum ornat, vel  
instruit prudentem, suo adjecit comi-  
tatu. Hoc rerum pulcherrimarum,  
splendore, hac partæ gloriæ fama &  
existimatione peracto feliciter quindecim  
annorum itinere, quem numerum Regi Ezechiæ vivendi metæ superadditum perfectæ vitæ cursum vo-

D 2 carunt,



carunt, patriæ demum dulcissimæ redditus, ut publico aliquando commodius inserviret, res privatas primum, & familiam procuravit, Reipublicæ fundamentum, ductaque uxore lectissima MARIA BRODDIA, Antistitis Viburgensis WICHMANNI HASEBARDI, ad custodiam religionis venerandi, vi-  
dua & filia Senatoris Hafniensis, ita disposuit ocium suum, ut non privatus esse videretur civis, sed publicum exemplum, quando secessus illius, tranquillitatis nomen, non desidiæ inerebatur. Bibliothecæ adornandæ, reisque nummariæ antiquæ colligendæ eruditam operam hoc temporum tractu impendit & sumptuosam, in primis quæ ad patriam historiam spectant illustrandam. Leve negotium vide-  
tur

tur prima fronte imperito vulgo, sed tanto sapientioribus præclarus, quo magis impedita est antiquitatis silentio numaria res Danorum, & à paucioribus tentata. Singulare circa hæc MULENII studium fuit, ut undique conquisitas Danorum monetas & ordine dispositas, ingenio perspicaci & Historiæ patriæ exacta notitia illustraret, qua etiam notas obsoletas & literulas penè oblitteratas temporum & terrarum injuria in nummis antiquis nullumque ætatis suæ indicium præferentibus exsculpsit & enodavit. Salivam mihi non semel thecas illius nummarias pervolventi movit, ut rogare non destiterim pro patriæ historiæ & Antiquitatis reverentia, publico ne invideret quicquid tot annorum cura ob-

servaverat. Quanquam omnes cogitationes ad patriæ augendam laudem, deflecteret, exorari non potuit ut magno studio in adversariis conjectam rei summariarie Historiam publicis chartis legendam orbi exhiberet. Mihi verò cæterisque intimæ admissionis amicis summam rei nunquam negavit. Quantum fugiente memoria recolere possum, antiquissimos numulos ex vasis testaceis in Cimbria & Fonia erutis, sed æneos, quales olim apud majores nostros in usu erant, inactus est, quos domesticos esse nullus dubitavit, quia magno numero vasis duobus in patria terra inventi: antiquitatem verò indicari ruditate præli absque ulla politura; multos præterea terræ, in qua tot annos delituere, acrimonia & æruginosa



gine planè erosos peneque consumtos; nec verosimile esse alios prisca ævo in usu fuisse, cum veterum Principum claritudinem ex armis potius quam opibus æstimarit Saxo: nec pro thesauro vile metallum servasse, si meliores nummi apud majores extitissent. Fuerere autem omnes ænei, parvuli, sed figuris & numero diversi. Hinc suspicio ipsi nata antiquiores illos esse qui pauciores numero & figurâ, recentiores, quorum copia major. Et quia plurimi stellâ & cruce signati apparebant, à Christiani nominis Danos fuisse curos verè divinavit. Quis valor numulorum istorum fuerit, hariolari nequivit. Illud ex Annalibus nostris didicerat, nobisque de facili persvasit, sub primis Danorum Regibus nullum.

aut



## 32 TH. BARTHOLINI ORATIO

aut exiguum numorum fuisse usum;  
nam merces cum mercibus commuta-  
bant, more veteri simplicissimo, eti-  
am nunc apud Islandos servato, sic circò  
minutulos numos & usuales cuderunt  
ex ære, ad res minoris precii compa-  
randas aut ad summam precii in rebus  
permutatis supplendam & æquandam  
aptos. Nec auro enim nec argento  
abundabat illud seculum, hoc defectu  
beatus nostro, utinamqne posset ex  
seculo nostro in totum iterum abdica-  
ri sacra illa fames, ad perniciem vite  
reperta, ut res ipse inter se permuta-  
rentur fide bona & antiqua, sicut &  
Trojanis temporibus factitatum, &  
apud veteres nostros Danos incorru-  
ptos, qui nec preciosa illa in numos  
effigiarunt, nec superbas inscriptiones  
im-

impresserunt, contenti simplici corona, gladio, cruce. Deinde vocem solam addiderunt REGIS, mox nomina propria cum imperio populorum non locorum, ut ERICUS Rex Danorum cum gladio, WOLDEMARUS Rex Danorum, ABEL Rex Danorum, denique nominis vultusque ratio invaluit, ut in numulo argenteo, cuius haec inscriptio: *Cnut Rex Anglorum.* Cæterum ex humili ista conditione emergens res numaria sub Regibus Augustis ex familia Oldenburgica, altius surrexit cum primum Unciales seu Thaleri Imperiales à JOHANNE Rege, ac nummi aurei in Dania aureum seculum imitata cuderentur, jamque insigni splendidaque varietate effigiem Regum optimi FRIDERICI TERTII refe-

E

ren-



## 34 TH. BARTHOLINI ORATIO

rentes omnibus aliis nationibus, etiam  
cultissimis, palmam elegantiæ & ma-  
jestatis cum autore præripiant. Accu-  
ratam omnium horum seriem MULE-  
NIUS inter ocii oblectamenta collegit  
multo ære signato & argento dignam,  
quam ad pedes Sacratissimi Danorum  
Monarchę, qui veterum & recentio-  
rum gloriam in se contraxit, ante fata  
humillimo voto projecit, ut in Sacra-  
rio Majestatis Regię conservata tempo-  
rum sequentium oblivioni & ærugini  
subtraheretur. Ad majus fastigium,  
singula produxisset, si privato esse  
porro licuisset. Sed domi diutius  
contineri MULENII virtus non debe-  
bat quasi perpetui silentii prædamnata.  
Non invidit unquam fortunis alio-  
rum, meliora tamen de se quoque co-  
gita-

gitare potuit. Nam cum se integerri-  
mè semper gesserit, T. Aufidii exem-  
pli demonstravit pristinum statum for-  
tunę suę vel voluntati, futurum verò  
dignitatis incrementum moribus esse  
imputandum. In publicam igitur or-  
bis patrięque scenam erat producen-  
dus, ut quia prima vitę tempora sibi  
indulserat, media patrię & extrema  
impertiretur. Fatigato annis & curis  
beatissimo Avo nostro D. THOMÆ  
FINCKIO, qui ætatis privilegio à publi-  
cis officiis vacationem meruerat, sub-  
rogatur in curanda œconomia Cen-  
tum Studiosorum, quam ut providus  
Paterfamilias ea fide administravit,  
etiam difficillimis obsidionis Hafnien-  
sis temporibus, ut supra vires nifus  
majorem semper habuerit Alumno-

36 TH. BARTHOLINI ORATIO

rum Regiorum rationem, quam proprii emolumenti, optimæ conscientiæ fiducia asseverare non dubitans, luere se paratum in ægro corpore & expiare si quid injusta manu subtraxisset elemosinæ. Et quod imminutus sit alumnorum numerus ex quo ad has curas venit, bello imputandum, quo coloni exhausti, decimæ depauperatæ, proventus operarum defectu diminutus. Rectè enim Socratus ille, cuius voce Musæ quasi locutæ feruntur: cum sumptus integri ex re familiari procedunt, opera verò non perficiuntur ita, ut ex sumptu aliqua redeat utilitas, mirum videri non debet, egestatem hinc pro rerum abundantia oriri. Magna interim sollicitudine de necessaria annona providit cum temporum



porum observantia, congestam modo debito & mensura justa expendit, alumnos tanquam Deorum convivas lautè habens & benignè, servos & minis & beneficiis in obsequio continens. Excanduit enim subinde ubi extra jussatum est, ita tamen ut levem rem magnis detrimenis corrigere no-luerit, obsequio statim mitigatus. Honestius putavit cum Julio Agricola offendere quam odisse. Nec aliter hæc sacra constant. Minis uti & objurgationibus sine contumelia, Patrifamilias licet, ne sævire videatur, & intra verba iram continere quando ad justam indignationem concitatur honesti animus, sed breves iras sapiens temperat benevolentia, ubi de summa rerum non agitur. Graves isti mores, benigni-

## 38 TH. BARTHOLINI ORATIO

tamen & cum cuiusq; æquitate con-  
juncti, majorem MULENIO finxere  
fortunam. Spectatâ œconomi pru-  
dentis in Alumnorum Regiorum redi-  
tibus fide & sinceritate, Cameræ suæ  
Computerum seu Ærario Regio ad-  
scripsit Serenissima Majestas Regia, ut  
de Regni sui acceptis & expensis cal-  
culum poneret, signandæq; chartæ  
publicæ præfecit. Mansit hic MULE-  
NIO, quæ prior fides. Labore lxtatus,  
constantia in publicis negotiis inde-  
fessus, copiam sui quærentibus fecit,  
& si quis alias, ad rem Domini sui at-  
tentus, quacunq; valetudine, quibus-  
cunq; occupationibus, sua præsentia  
effecit ut veniret quisq; cum vellet,  
veniret quisq; cum posset, fidem suam  
cum charta Regi suo obsignans, quem  
tam



tam habuit sibi propitium, ut infra  
majestatem non putarit fidi servi Mu-  
fæum & collectam veterum numis-  
matum seriem inspicere, & de rariori-  
bus differentem audire, non ut Alexan-  
der in dolio Diogenem, sed quasi in  
curia Catonem. Unde nec hoc termi-  
no stetit MULENII dignitas. Ulte-  
rius progressa emersit & quo Solon ju-  
venes admittere noluit, seniorem  
MULENIUM Regia clementia pro-  
movit, ad supremum magistratum &  
consultationes. Ita Lycurgus egregia  
lege demonstravit, qua ratione virtus  
ad senectutem usq; possit exerceri.  
Nam quia judicium de Senatoribus ad  
vitæ metam retulit, eo effecit ipso, ut  
ne quidem in senecta laudis & honesti  
studium negligeretur. Non Spartæ  
solum,



## 40 TH. BARTHOLINI ORATIO

solum; ut olim quidam dixerat, sed & Hafniæ senescere bonum est. Quod igitur ad tribunal summum evectus sit robusta jam ætate MULENIUS, senilis meriti & judicii argumentum interpretamur, in quo, quia vitæ pars extrema, sicut quod in mellis imo dulcisimum est, saniora consilia & matuturam dulcedinem experimur. Suffragium dare sexagenarios senes Rōmæ non licuisse, Antiquariis non credimus, licuit enim sententiam dicere, & à senectute Senatus olim appellatus, qui cœtus constat pulcherrimo senum ordine, annis & animis maturo, ubi in marcido licet corpore, mentis vires se clarius exserunt, sicut lumen candelæ oleo pene consumpto. MULENIO tamen nostro etiam hac ætate ingravescente



vescente corpus vegetum, mens vivida, mores severi quidem, sed salibus jocisque conspersi sermones. Candum pectus per omnes ætates circumtulit, domi forisque nunquam fractus, nemini offensus nisi peccantibus, implacabilis fucatis, bonis benignus, omnibus venerabilis. Studia amoeniora à primis annis excoluit, senectutis oblectamenta, cumque fœcunditate uxoris optimæ frui non liceret, erexit præmatura morte magnæ spei filiolis WICHMANNO & OLIGERO, orbis solatia in Bibliotheca, quam optimis libris instruxerat, quæsivit, ut librorum multitudine defectum librorum suppleret: his quippe à rerum natura & accipiedi spiritus & reddendi eodem momento temporis vel diver-

## 42 TH. BARTHOLINI ORATIO

so legem dictam non ignorans, illis  
verò se immortalem reddi. Pruden-  
tia civili ad miraculum eminuit, pa-  
triæ historia, antiquorum ritibus, lite-  
ris humanioribus, Patrum Sanctorum  
lectione, omni pene eruditione avi-  
dum animum satiavit. Plura non pos-  
sum, quia subtractum esse oculis no-  
stris MULENIUM recordor, im-  
menso desiderio relicto, qui tanto no-  
stri semper amore flagravit, ut crede-  
res unam mentem in duobus fuisse di-  
visam, in quo laudando non vereor  
me excedere modum, quippe pericu-  
lum nullum est ne sit nimium, quod  
esse debet maximum. Jamque cum  
MULENIO summum honoris culmen  
excedente ad alia me diffunderem quæ  
vel ille vita prudenter & solertissimè  
ges-



gessit, vel alii libenter de illo audiunt, nisi menti meæ in publico laudum, consensu defixa caligo subitaria, & cœcitas oculis illius irrepens implicaret omnia, sisteretque officiosæ orationis cursum. Integro processerat ad senium curriculo felix MULENII vita in rerum optimarum affluentia, gloriæ ubertate, gratia Regis, bonorum amore, omnis virtutis perpetuo exercitio, mente integra & inconcussa, nisi quod desiderium amissæ conjugis svavissimæ concoquere nunquam potuerit. Devoranda restabant morbi & mortis tædia, quæ quideam sapiens formidare non solet. Mortis quippe metus timidos exarmans, in spem futuræ vitæ melioris excitat cordatos, cum anima libertati suæ reddenda ad exitum se-

## 44 TH. BARTHOLINI ORATIO

componit præmio æternitatis. Non  
hæc piorum censenda pœna, sed coro-  
na, sed bonorum complementum,  
quo Deo advolvimur proprius terre-  
nis vinculis expediti. Morbi autem  
pias mentes non terrent, quibus ad-  
monemur, optimos esse nos, dum in-  
firmi sumus. Neminem infirmum  
aut avaritia aut libido aut honores va-  
ni sollicitant, tunc Deum, tunc homi-  
nes esse nos meminimus, invidentes  
nemini, neminem despicientes, ac ne  
sermonibus quidem malignis aut at-  
tendimus, aut alimur. Non est quod  
immutatum morbo quasi per insidias  
invadente, aut mortis certæ metu ani-  
mum MULENII credatis: semper ma-  
sculam mentem servavit, quamquam  
inquieto corpore, bile abundante, ex-  
cute-



cutere mallet injurias urgentes quam  
pati. Talis infirmus perstitit, qualem  
se sanus profitebatur. Venerat fortè  
ad ædes meas vicinas, ut officii causa  
in urbem reversum me reviseret, vix-  
que pedem retulerat amici vicini me-  
moria calentem, cum oculis, quos  
multorum annorum lucubrationes  
offuscarant, derepente cœcitas suffun-  
deretur, brachio sinistro langvor &  
motus impotentia, quibus affectioni-  
bus in dies ingravescientibus nec pedes  
deinde nec lingva in mali consortium  
ex nervorum vicinitate tracta officio  
suo fungebantur, donec tandem post  
trium hebdomadarum luctam inquiet-  
tam & fractum corporis robur, catar-  
rhus faucibus incumbens, spiritum  
intercluserit. Itum statim in morbi

46 TH. BARTHOLINI ORATIO

exordio ad templum Æsculapii, ad vota & supplicationes. Advocatus mecum urbis Chiron *D. Paulus Moth*, nihil non tentavit ut gravissimus corpori morbus à capite ejusque impeditis nervis diffusus, averteretur detractione sangvinis, enematis, pilulis Cephalicis, inunctionibus, lotionibus, frictionibus, potionibus, spiritibus, linctibus, & aliis medicinæ instrumentis, quibus longus usus spem fecerat juvamenti: cæterum mali invalescentis vis perseverans vota omnia elusit. Nec consilia, quæ tandem veteris amicitiæ jure rogatus prudenter suggessit longa artis Medicæ experientia inclitus *D. Simon Paulli*, quicquam invita natura profecerunt. Nec denique ingentis Naturæ Mystæ, Illustris *Burrbi arca-*



arcانum Ophthalmicum, quod amicis potentibus longe lateque concessit, oculis ab interno animalium spirituum defectu occaecatis potuit nativum lumen restituere, quamquam non nihil se quasi per nebulaqui vidisse, æger ingenuè fassus sit. Scilicet Senex noster, quinto supra sexagesimum anno consternatus, oculorum usu intercepto, ne quicquam conqueri, mente acutissimè cernens, quod minora hæc terrena essent, per immensam æternitatem cogitationes & ad Deum infinitum diffundere malebat quam fessis mortaliū rebus & nocte involutis diutius inhærere. Hinc cum minus oboediens se præberet animo quietem optanti corpus, crebris jactationibus sibi & astantibus molestum, nihil in ore aliud,



## 48 TH. BARTHOLINI ORATIO

aliud, aliud in pectore nihil habuit  
quam votum beatæ mortis, ut vincu-  
lis corporeis ætate & morbo detritis  
solutus, esse posset cum Christo, cum  
que sibi ipsi imperare quietem non va-  
leret, nec animo pacem dare, calido  
voto exclamavit: ô Domine ure, seca,  
sed da patientiam. Nempe benè ha-  
bitaverat anima beata, & domicilium  
tanto hospite se privari, etiam emeri-  
tis jam stipendiis profligatae ætatis, æ-  
gerrimè patiebatur. Ut tamen sine  
magnis turbis sibi invicem valedice-  
rent, quietioraque omnia ad placi-  
dam se componerent æternitatem,,  
cum Deo, quem devota sancta que re-  
ligione sanus coluerat, in gratiam re-  
diit, & solatio divino per Dei Sacer-  
dotem *M. Jacobum Fabrum*, Præposi-  
tum

tum nostrum, qui ad numen propitiandum invigilat, per vices accepto, totum se Deo addixit. Mox sarcinas quasdam, quas forti semper animo passus fuerat, ne abiturienti & ex hac mortalitate migraturo essent oneri, abjecit, consilio Stoici res suas in arctum cogens, sed piis usibus destinatas & profuturas posteritati. Testamento enim maturè signato, testibus Licentiato Petro Lassono, redivivo Triboniano & magno patrii Romaniq; juris interprete, uti & D. Paulo Moth, Medico summi judicii, Curatore D. Petro Scavenio Juris Antecessore, Affine & amico sincero, quibus omnibus familiariter usus fuerat, innumerabilem Librorum magna cura & pari delectu collectorum numerum Regiæ huic Academiæ publicisq;

G

50 TH. BARTHOLINI ORATIO

blicisq; eruditorum usibus cum summa  
septingentorum Joachimicorum qui-  
bus loculi exstruantur, libri novi e-  
mantur, & salarium sub Bibliothecarii,  
cui etiam ædes proprias habitationi  
destinavit, augeatur, laudabili munifi-  
centia, liberalissimâ impensa, legavit &  
in perpetuam bonæ voluntatis memo-  
riam donavit. Dignum sanè tanto  
Testatore donum, cui immortales gra-  
tiæ à publico debentur, quas adhuc su-  
perstiti, lecto assidens persolvi, cum de  
præclaro instituto, pulcherrimo isto  
sapientis docti q; monumento & stu-  
diosa cura, me fecisset certiorem, & hic  
publicè non reticebo. Nullum certè  
est magno MULENIO immortalita-  
temq; merituro impendii genus dig-  
nius quam quod erogavit in posteros,  
non



# IN OBIT. JOH. MULENII. 51

non tam Palatii Bibliothecarii orna-  
mentum quam studiorum illustre in-  
strumentum. Servabit splendidum  
depositum Academia, custode Osten-  
feldio ingeniorum ac doctrinæ prin-  
cipe, non in spectaculum sed singulo-  
rum studium. Juventus tanquam do-  
centem ex libris **MULENIUM** inviset,  
qui publicè docere eloquentiam,  
etiam magna precē vocatus ad Acade-  
miam Soranam olim recusavit, post  
fata in libris disertus. Omnes **MULE-  
NIUM** loquentur, totq; laudibus effe-  
rent quot libros sunt lecturi. Gratu-  
lemur publico Bibliothecæ Palladio,  
& beatis **MULENII** manibus optimè  
precemur. Sacros libros BROCHMAN-  
NUS nostro ævo donavit, Medicos Fui-  
renius legavit, Philosophos dedit

G 2

Giel-



Gielstrupius, MULENIUS præter alios,  
quoq; Historicos & Philologos adjecit,  
& quando alii horum exemplo, boni  
publici amantes ex divite penu addi-  
derint complementum , parem à pu-  
blico hoc Musarum domicilio mere-  
buntur gratiam , ut illorum cura & li-  
beralitate cæteræ Musæ de scientiis suis  
profusius omnibus dispensent. Ex  
reliquis bonis piò in Deum animo,  
Templo B. Virginis, quod offa ejus &  
conjugis contegit , ter centum Impe-  
riales, scholæ patriæ Otthinianæ septin-  
gentos , pauperibus hujus urbis mille  
largitus est , ubiq; pietatem spirans,  
ut alias summas argenti silentio invol-  
vam fratri unico Viro Amplissimo,  
nepotibus , privigno , servis prodiga  
manu sine hæredum reliquorum di-  
spen-

spendio concessas, tanto gratiore ac-  
cipientibus, quod nemini creptæ, lo-  
cupletatisque tam multis, pauperio-  
res tamen hæredes non sint facti, quo-  
rum tantus est erga MULENIUM  
amor, tanta in defunctum veneratio,  
ut mallent amplissima hæreditate ca-  
rere, quam suo MULENIO, in quo  
spem omnem nepotum, fortunam  
amicorum omnem sitam existimant.  
Nos quoque desiderio tam chari ca-  
pitis, tam constantis amici, tam boni  
vicini, qui inter vota & lacrymas  
suspirantium tertio hujus mensis  
Septembris die cum Phœbo occidente  
placidè expiravit, ad meliorem vitam  
quasi Sole duce, quam piâ vitâ semper  
desideravit, digressus, quanquam mor-  
tales caducosque titulos Manes ipsi

G 3

depre-



## 54 TH. BARTHOLINI ORATIO

deprecentur, sempiterna gloria, in  
quam nihil morti licet, & perpetua  
memoria tot in publicum merita,  
tot virtutes fulgentes proseqvimur  
mœsti, & ne ulla oblivione obscuren-  
tur, posteritati consecramus, detestati  
barbarorum mores qui eos qui sexa-  
ginta annorum ætatem excesserant,  
vel immolatos olim & arrosos devo-  
rarunt vel aconitum propinarunt.  
Non enim ipsa invidia inveniet, quod  
jure in MULENIO carpat. Fateor  
apud quosdam acerbiorem narrari &  
ad iram subinde propensiorem. Sed  
faciles hos motus mens generosa pati-  
tur, cum ex iracundia nihil superest.  
Langvidus animus censetur, qui ira  
caret. Irascitur sapiens vitiis, non  
personis, & cum maximè fervet con-  
citata



citata bilis justis de causis accensa, forti prudentiâ temperatur si quidem ex toto removeri nec possit nec debeat. Iram somitem virtutis veteres Philosophi dixerunt, si intra limites se contineat, & affectum necessarium Deoq; probatum sacri Codicis autoritate damnare nemo ausit ad coercenda peccata eorum qui sunt in nostra potestate, hoc est, lacteæ eloquentiæ Patre interprete, ut arctiore disciplina minor ætas ad probitatem justitiamq; formetur. Gravissimè obtrectatoriis os obstruit Beatus ille Civitatis Dei Candidatus: In disciplina enim Christianorum non tam quærendum utrum pius animus irascatur, sed quare irascatur, nam irasci peccantibus sana consideratione non posse reprehendere.

hendi. Nihil hac parte à MULENIO  
beato peccatum , qui nec modum ex-  
cessit nec humanitatem, bonis comis,  
adversus malos injucundus , ut cum  
Julio suo Agricola simul suis virtuti-  
bus, simul vitiis aliorum, in ipsam glo-  
riam præceps ageretur. Non offendit  
servos suos, sed emendavit, sed be-  
neficiis minores , amicos officiis sibi  
devinxit, Deumq; pura mente in vita  
colens, quanquam cadaver anima bea-  
ta desertum , ut arbores amissis hoc  
Autumno foliis , ariditatem post se-  
nium mentiatur, vere tamen futuri  
seculi blando æternitatis ca-  
lore revirescet.

D I X I.

# IN OBIT. JOH. MULENII.

57

RECTOR REGIÆ HAFNIENSIS ACADEMIÆ  
**M. BARTOLUS BARTHOLINUS**

Eloquentiæ Professor Regius

L. S.

**A**llxit superos cœlumqve illustrius reddidit æternos nnnc in orbes collectum sydus JOHANNES MULENIUS, cuius ut memoria, fideliterarum custodiâ, in omne sacretur ævum R. P. maximè interesse existimavimus. Donec enim terris commodatum fuit hoc nomen, titulis id omnibus majus optimi qviqve judicarunt, & nunc, postqvam in cœlis eminere cœpit, tanto ereptum proseqvitur orbis desiderio, qvantum id posteris reliquit exempli. Eqvidem inviti sufficientem illumstrem animam lugubri stilo proseqvimur, curasqve ac cogitationes nostras lætoribus impendere officiis maluissemus, qvam hæc feralia attrectare. Sed poscit pietas, jubetqve ut præclaris viris non modo præsentibus deferantur, sed & mortuis duraturâ scriptione delegentur, officia, tum ut ipsi oblivione exempti æternum noscitur, tum ut altius exaggeratum eorum nomen populis nepotum exerendæ virtutis ingens aliquando sit incitamentum, Neqye enim

H

fas



## 58      RECTORIS PROGRAMMA

fas est maximas virtutes, velut leviora delicta, silentio punire. Testator debet esse earum memoria & recordatio prorsus indelebilis. Ideoqve ne vel nostrum officium vel posteritatis negotium neglexisse videamur, inter sydera transcripti MULENII, heu qvodam nostri, brevi sermone celebrabimus Apotheosin, narratâqve vitæ ejus historiâ insignes his qvi supersunt ad decus æmulandum addere stimulos conabimur.

Nobili & antiquâ is stirpe generatus vitales curpere auras & cœrula tueri tecta primùm cœpit Othiniæ, Anno seculi hujus qvinto, die octavo Martii. Genitorem agnovit virum spectatissimum GEORGIUM MULE urbis consulem, Matrem præstantissimam rarissimiqve exempli Matronam BARBARAM MAGNI, viri qvoque consularis, filiam, (qvorum in laudes ambitione effundi non juvat, cum nihil splendoris dignitatisqve ab hæreditariis sibi accedere imaginibus beatus noster unqvam putaverit.) Commendari tamen pietas ac solertia eorum mereatur, qvod statim natum servatori Christo per sacræ undæ aspersionei authoraverint, factumqve majorem primis fidei elementis sedulo imbuerint, donec ad illam perveniret ætatem, qvâ majori-

ioribus se studiis applicare potuit. Et tunc quidem excolendo ingenio clarissimos doctores admiraverunt, qui monitis gravissimis tenellum componerent animum. Nactus autem erat puer mentem, quia pulchrius nihil, nihil amoenius unquam fuit, eosque præcipue impetus, quibus amoeniores literas principe studio & quodam voluptatis ardore adamaret. Hinc factum quod in patriâ scholâ non interruptâ serie, ab infimo ludi ordine ad supremum, paucorum spatio annorum, ascenderit, Gymnasio pedem intulerit, tandemque, si quis alius, maximè commendatus in Academicam libertatem Anno 1624. die Martii 24. suo jure, suoque merito se asseruerit. Eminebat tunc in Academiâ supremi Magistatus honore ac purpurâ conspicuus, Vir incomparabilis D. CASPARUS BROCKMANNUS, Selanidæ postea per multos annos Episcopus, præsidebat autem facultati Philosophicæ Vir clarissimus JOHANNES JANI ALANUS, qui novum lycei hospitem, venuissimi ingenii hominem, magni per literatum orbem nominis Viro D. CASPARE BARTHOLINO tradiderunt, ut privatâ ejus curâ bonarum artium studiis jam supra ætatem penitus addictus dignum

## 60 R E C T O R I S P R O G R A M M A

fortunâ, dignum majoribus animi cultum porrò acciperet. Annum integrum cum semestri in Academiâ consumpsit, studiorumq;e omne genus emensus est, adeo ut literarum amoenitate brevi imbutus etiam solidiores disciplinas felicis ingenii captu complecti cœperit. Sed, ut res humanae versat fortuna, ita ex transverso in conatus ejus planè egregios ejusdem licentia incurrit. De populari cœpit urbem dira lues, unde, ut in pestilentia assolet, tristi justitio clausæ stabant Musarum ædes. Ideoq;e, ut uberiorem ingenii cultum alibi caperet, postquam ad suos per breve temporis spacium divertisset, Soram se contulit, nomenq;e inter Regiæ atque illustris Academiæ alumnos professus est. Hic civitate, qvod beneficium sine Mæcenatum gratiâ nemini tunc contingebat, ultrò donatus est, studiisq;e pertinaciter inhæsit, & sapientiæ fontes largiter hau sit. Ita animi dotibus brevi cultissimus facile favorem dignationemq;e naectus est. Est enim virtutis hoc maximum præmium, qvod latere suos non finat. Innotuit magno Heroi HOLIGEROROSÆKRANTS Regni Daniæ Senatori amplissimo, qvi summo loco natus, summâq;e virtute, atque amplissimâ dignitate conspicuus pari

pari animi ardore in publicæ rei curam & literarum tutelam intentus tunc vivebat. Is captus præclarâ indole familiaritatis ipsum sacris initiatum in spem liberalioris fortunæ maximè excitavit, præivitqve ipse, ac literariam monstravit viam, qvâ ad nova decora, novumqve iretur fastigium. Nobile hic exegit quadriennium, donec Anno 1629. magnâ generosissimi Herois liberalitate auctus nobilissimo filio ERICO R. SÆKRANTS; qvi in Angliam proficisci cebatur, adjungeretur, non ut adolescentiæ ejus moderator & arbiter, sed ut virtutum morumqve spectator ac testis adesset, ea qvippe juventutis ejus rudimenta jam tum erant, unde vel senes exemplum caperent. Oxonia atqve Cantabrigia per biennium utrumqve habuerunt, inde lustratis principibus Britanniz urbibus visisqve rarioribus, qvibus exterorum ad se oculos deliciarum fœcundissima terra allicere solet, in Belgium tranfretarunt, & electâ studiorum sede Lugdunensi urbe per quadriennium in sumimorum virorum, *Cunei*, *Barlei*, *Vossii*, *Heinsii* & *Boxhornii* contubernio juris scientiam, politiores literas, & artes qvibus civilis ordo disciplinæ continetur, sectati sunt, tantosqve fecere progressus.

## 62 RECTORIS PROGRAMMA

gressus, ut clarissimorum hominum gloriam, qvi artes has atqve scientias profitebantur, parum abesset qvin æqvarent. Hinc digressus, prementibus jussis paternis, patriæ se reddidit il-lustrissimus ROSÆKRANTSius, ut Regiarum glorioſæ memorię Principis CHRISTIANI nuptiarum pompam cum delecto nobilitatis flo-re augeret, & tunc penates satis diu non visos repetiit qvoqve MULENIUS, domumqve suam utriusqve Parentis interitu funestam reperit. Qvo gravi vulnere iictus qvidem se ipsum tamen collegit, (erat enim cuicunque fortunæ par animis) &, ut res domesticas commodius compo-neret, missionem petiit à magno Patrono ROSÆKRANTSIO, eamqve præmiis invidiæ ca-pacibus ornatus obtinuit. Postquam ita virtu-tem exteris & fructum secessus patriæ probasset, magna de ipso sibi promittere nobilissimi qviqve ausi sunt. Et ex eorum numero præcipue per-illustris Heros JOHANNES LINDENOW de Hundsholm / Regni Daniæ Senator, & arcis Calundanæ præfetus, qvi usus proxenetà ROSÆKRANTSIO, oblatogve lauto stipendio ipsum eò pellexit, ut filiorum generosæ indolis juvenum HENRICI atqve JACOBI LINDE-NOW

NOW curam, donec in exteris futuri essent, in se susciperet. Iterum igitur relictâ Patriâ terrestris itinere Belgum adiit, Angliam revisit, in Galliis Lutetiæ, Andigaviæ, & Coloniæ Allobrogum substitit, donec exacto triennio in patriam revocarentur nobilissimi, qvibus se addixerat, juvenes, qvos Anno 1639. suis reddidit omni disciplinæ Heroum filios decente cultu impensissem imbutos. Unde, præterqvam qvod beneficia verbis inita ante tunc re laute comprobaret, non nisi præclarè de ipso sentire potuit Pater, imo, ob navatam pignoribus fideliter operam, omni illum commendatione majorem ipse & habuit, & ubique professus est. Ita magnatum favorem & florentissimam gratiam, quantâ qvis maxiniè posset, diligentiâ atqve humanitate aere doctus effecit, ut Viri, qui ætatis illius gloriam exornabant, commodis ejus consilium cuperent qvam maximè. Vix enim penulam excusserat cum ingeniorum acerrimus pariter ac æqvissimus æstimator JUSTINUS HÖG, Vir verè nobilis ac magnus, ad Academiam, qvam Soræ illustrem Regum fovet munificentia, ipsum invitaret, ut humaniores literas profiteretur, & politioribus studiis Lyceum condecoraret. Gestie-

## 64 RECTORIS PROGRAMMA

stiebat ille qvidem summam **Viri Principis benevolentiam**, qvi tam præclaro ipsum destinabat muneri, pari obseqvio amplecti, sed intercedebat datæ aliis dextræ fides, qvam ut nunquam ante, ita ne tunc qvidem violare voluit. Sexen-nium igitur adhuc integrum in Belgio, Anglia, Gallia, Sabaudia, Helvetia, Germania atqve Italia consumpsit. Tandem aliquando qvindecim annorum peregrinator, multis defunctus laboribus, & tantum non delassatus, ut æternæ famæ, qvæ literarum studio paratur sine interpellatione velificaret, nobiliqve commercio immortalitatem negotiaretur, veterem cum Musis rationem deducere constituit. Sed his curis intentus cum Patriâ urbe se abdidisset, svasu amicorum, thalami sociam sibi optavit Matronam omnibus virtutibus, sed præcipue morum sanctitate insignem, & antiqvis nuribus parem MARIAM GEORGII filiam, Viri admodum Reverendi atqve Excellentissimi M. WIKMANNI HASEBARDI Episcopi qvondam Wiburgensis vigilantissimi viduam, dieqve 5. Decembris Anni 1654. voti compos matrimonium orsus est, qvod sedecim annorum mira nobilitavit concordia, ornavitqve mascula proles gemina, qvamvis non

non diu superstes. Anno 1654. Calendis Majis Procurationem Regiae communitatis, jussu Augusti nostri, suscepit, eamque per tria lustra, & quod excurrit, ita administravit, ut nunquam, ipso connivente nedum volente, fraus ulla sit facta. Difficillimis autem temporibus fides ejus clarissime innotuit, cum, strepente circum quaque funesto bello & segetem omnem inimico usurpante milite, latrantibus in urbe stomachis nullum ab agris solatium sperari posset. Qvicquid enim tunc praesidii ad seqviores casus se posuerat id omne studiosae juventutis extremae commendavit necessitati, propriumque imminuit censem, ne, se dispensatore, alumnis alimenta deessent. Scilicet hoc uno gaudebat, hoc uno se circumspiciebat, quod Patriae ex suo prodesse posset. Agnovisse se hanc viri fidem testari voluit Augustinus Rex noster, ideoque statim, redditu sibi Patriae, novo honore, titulo Assessoris in Collegio Camerarum, ipsum ornavit, dieque 6. Februarii hujus anni, post praestitum homagium, in supremum dicundi Juris Senatum adoptavit, & collegii justiciæ Assessorem constituit. Quod autem senior meritis ac publicâ expectatione hic ipsi honor venerit id proprio debuit genio, longè enim

enim glorioſius duxit, ſi homines qværerent, eur honorum fastigio careret, qvām qvomodo habere, ambitionisqve, à qva longiſſimè abſuit, ac culare ſolebat eos, qvi multas occupationes avice amplexantur, & eas magnæ felicitatis argumenta putant, cum ipſe in votis nil haberet magis, qvam ut tranqulliſſimè ſenesceret. Scilicet in id unice intentus ſemper vixit, ut Deo, Regi, Patriæ, amicis, pauperibusqve placide ſua tempora impenderet. Igitur ab ipſis vitæ primordiis Numinis cultu nil sanctius habuit, cum qvo, per interpretes pias preces, omni momento loquebatur. Maximo Patriæ Patri fortunas omnes ipſumqve devoverat ſpiritum, & qvæ à Regiā clementiā ad ſe cumulatiſſimè manaverant beneficia prædicabat, affidius. Omni præterea corporis ac animi contentionē id agebat, ut demandatam ſibi Provinciam eā fide ac integritate administraret, ut rationem factorum postulantibus qvovis momento reddere posſet. Erga pauperes effusam ejus benignitatē nulla dies ignorabit, donandi enim modum non iisdem cum vi- tæ terminis circumſcripsit, qvippe jus largienda etiam post mortem ſibi eſſe voluit. Tabulis enim testamenti resignatis patuit illum pauperibus, hujus

hujus urbis mille, Scholæ Otthinianæ septingen-tas, templo hujus urbis primario, in quo exuvias suas condi jussit, tèr centum argenti uncias legassè. Plurima supersunt adhuc elegantiæ ejus illustria documenta: Videre est veterum num-morum ingentem numerum, patriæ antiquitatis quæsitissima spolia, nec non ex vario metallo variè signatæ monetæ copiam, quam ætas, raritas, & artificum nobilitat industria, in quibus con-qvirendis dexteritate, comparandis liberalitate, servandisq;ve studio cum usus esset maximò, merito & inter postremas illa ipsi cura fuit, ne vel periret hoc cimelium, vel interruptâ serie disper-sum temporum injurias aliquando experiretur. De utrōq;ve autem securum esse clementissimè jussit maximi Regis curiosa indeles. Cernitur & vastum conclave clarissimorum hominum monu-mentis, magno pretio comparatis, constipatum, intra quod ipse, quantùm à publico munere va-cabat, abditus cum Musis commentari freqven-tissimè solebat. Totum hunc Musarum mun-dum, totam hanc librariam supellecilem publi-co donavit, & septingentis taleris Joachimicis, domoq;ve planè lateritiâ dotatam, ut augustius habitaret, in Bibliotheca Academica quæ est in

æde S. Trinitatis reponi jussit. Tantâ liberalitate supremum vitæ actum claudere voluit. Die Augusti proximè præteriti, nono, qvam imbecillà nos DEUS materiâ orsus est, experiri cœpit; Repente enim sinistra corporis pars resolvi, oculorum acies hebescere, febrisqve jam satis afflictum inquietare cœpit. Et his qvidem malis Principes Patriæ Medici, Viri clarissimi excellētissimi atqve experientissimi D. PAULUS MOTH Seren. Reg. Majestatis Archiater & D. THOMAS BARTHOLINUS in Regiâ hâc Academiâ Professor honorarius, & Medicæ Facultatis Decanus, pro summâ qvâ pollent in re Medicâ experientiâ, omni præsidiorum genere obluctati sunt, sed vix tantum obtinere potuerunt, ut per vices commodiorem se esse sentiret æger. Ita enim se composuerat cum auxiliis pertinacia morbi, ut vehementissimè constaret, atqve in vestigio firmiter hæreret. Qvo viso mature animæ saluti prospectum voluit. Ideoqve vocato ad se Viro admodum Reverendo & Clarissimo M. JACOBO FABER ad templum Virginis Pastore primario & Præposito Sokkelundensi, post expiatas veteres noxas, mentemqve omni mortali contagione subductam, sacra-

# IN OBIT. JOH. MULENII. 69

eratisimum corporis ac sanguinis Iesu CHRISTI epulum petiit & accepit. Inde, ut magnum detebat animum, qvicqvad universi lex iubet, sine cunctatione, pati paratus fortiter mortis impetus sustinuit, donec die 5. Septembr. veniente extremæ horæ termino vitâ cesit, anno ætatis qvinto supra sexagesimum. Ita vivida & excelsa mens inter mundana hæc atqve umbratica serpere diutius dignata in meliorem emissâ est vitam, & supra humanæ fortis habitum facta ævo perfruitur æterno. Corpus, qvod, consecrata postqvam in cœlum evolavit anima, reliquum nobis fuit, horâ meridianâ magnifico funere eferemus. Vestri tunc muneris erit, cives Academici, multâ id freqventiâ deducere, & precari ut nutritoris benevoli ossa molliter quiescant. Hafniæ 1669. die 15.  
Septembris.

*Sub Officii nostri Sigillo.*

I 3

D. O.



D. O. M. S.  
IMMORTALI MEMORIÆ  
NOBILISSIMI VIRI  
**JOHANNIS MULENI**  
GEORG. F.  
IN SUPREMO TRIBUNALI  
ET  
COLLEGIO CAMERÆ ASSESSORIS  
OECONOMI COMMUNITATIS ME-  
RITISSIMI  
SENIS GRAVIS, PII, PRUDENTIS  
ET MUNIFICI  
OTTHINIÆ VIII MARTII clc lcc V  
NATI  
HAFNIÆ III SEPTEMB. clc lcc LXIX  
DENATI  
ET  
**MARIÆ GEORGII FIL.**  
CONJUGIS EJUS DESIDER A-  
TISSIMÆ  
NAT.

NAT. HAFNIÆ cIɔ Iɔc **XI.**  
XXI. JUL.

DENAT. cIɔ Iɔc **LXIII.**  
XXI. DECEMB.

FILIORUMQVE  
VICHMANNI ET OLIGERI  
PRÆMATURA MORTE EREPTO-  
RUM.

M. H. P. C. H.

cIɔ Iɔc **LXIX.**



